

20 ( 21

dam), XXIV: 93: οὐες γαρ μάτων γέ μενος καὶ Σι-  
γος εὐαγγεῖ (vehementer me incitat animi vis (ubi per  
dīcētū explicandum videtur μενος καὶ θυμος pro μενος  
θυμον), V: 139: τοι μετε αθεος μετε (excitat ejus  
(leonis) veluti animum f. iram), XVIII. 420: της εψη-  
σουδη καὶ αθεος (inest ipsis vox & vitalis vis), &c.

## DISSERTATIO ACADEMICA

De

### ATE HOMERICA & HESIODEA,



Quam

Conf. Amplif. Facult. Philos. Aboens.

PRÆSIDE

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

Lingv. Orient. & Gr. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

Publicè censuræ subjicit

ABRAHAMUS PAULIN,

Stip. Reg. Australis.

In Audit. Majori die 17 Martii MDCCCII,

Horis a. m. solitis.

ABOÆ, typis Frenckellianis.

JOSEPH MARES

KONUNGENS  
TRO - TJENARE, ÖFVER - DIREKTÖREN  
HÖGÄDLE  
HERR JOSEPH BREMER.

Allt ifrån den stund jag var lycklig att få vistas i Herr Öfver-Direktörens akningsvärda Hus, har Herr Öfver-Direktörens ynnest och välgörenhet lättat mina bekymmer, och beredt för mig en lyckligare framtid, än jag annars åt mina vilkor och omständigheter kunnat få hältigt hoppas. Förr skall jag deraf förfära bland de lefvande, än minnet af Herr Öfver-Direktörens ädelmod skall utplånas ur mitt tackfamma bröft. Til en början torde då Herr Öfver-Direktören tillåta mig at på detta blad offenteligen betyga min erkänksamhet. Mätte Förlynen, som vakar öfver våra öden, tildela Herr Öfver-Direktören så talrika lefnadsår och nöjda dagar, som jag det af varmaße och förbindligaste hjerta önskar!

Med all vördnad framhärdar jag at vara

HÖGÄDLE HERR ÖFVER-DIREKTÖRENS

Ödmjukaste tjänare  
ABRAHAM PAULIN.

VIRO

ADMODUM REVERENDO atque PRÆCLARISSIMO,  
DOMINO MAGISTRO  
ABRAHAMO PAULIN,

Concionatori ad Adam Ducus OstroGothie, nec non  
Sacellano in Uskela.

PATRUO OPTIMO!

Recordatio beneficiorum, quibus me jugiter ornasti, summa-  
rum, jucundissima profecto mihi est: quæ ipsa sanctissimis  
perfundit mentem meam pietatis sensibus. Grati igitur animi  
publicum aliquod documentum editurus, ut ætatis anni bene  
multi tibi contingent, ut omnigena felicitate abundes, jam  
vovet, æternumque vovebit

TUI

*Cultor humillimus*  
ABRAHAMUS PAULIN.

VIRO  
ADMODUM REVERENDO ac PRÆCLARISSIMO  
DOMINO MAGISTRO  
ARVIDO PAULIN,  
vicario Pastori in S. Maria & Sacellano in Paattis,  
PARENTI INDULGENTISSIMO!

Lætus tandem affulsi dies, quo pium in Te animum ac ve-  
nerabundum publice testificandi ansa mibi est data optatis-  
fima. Paternæ curæ & diligentie a cunis inde meis ad hunc  
usque diem, vitæ, moribus & studiis meis bene ac prudenter  
instituendis impensæ, memoriam quoties recolo, Te Parentem  
carissimum diligo, veneror, observo. Ut leve qualecunque  
animi grati monumentum hoc tibi consecro opulculum, bene-  
ficia Tua rependere qui non valeam. Vivas ad Nestorios an-  
nos beatus, ut sic Tuis lætandi materiam præbeas amplam,  
svavissimam! Vovet ad cineres usque Tibi,

PARENS OPTIME,

Filius obsequientissimus  
ABRAHAMUS PAULIN.



Malorum notionem primum doloris ex iis per-  
cepti sensu fuisse in hominum mente excita-  
tam, manifestum est. Eam igitur ipsum fere genus  
nostrum ætate æquare, vix negandum. Causæ ve-  
ro adversarum, interdum accidentium, rerum, &  
molestiarum ac curarum, animam passim afflignantum,  
scelerumque, quæ & pati & facere necessitas hic il-  
lic jubere videretur, non potuere non sæpiissime la-  
tere vetustissimi ævi cognitionem. Unde factum, ut  
& quæ sibi ipsi sua imprudentia & protervitate pa-  
rassent mala, ea diis auctoribus antiqui mortales fre-  
quenter adscriberent, rerum nexum non perspicien-  
tes, haud raro etiam sui nimio amore, qui in alios  
potius quam in se culpam convertere plerumque  
suadet, correpti. Quem vulgarem sentiendi morem  
poëtæ quoque fecuti, sibi finxere inconsiderantiae, te-  
meritatis, petulantiae, deam, Aten, in errores varios,  
in mala varia, homines inducentem; de qua igitur  
quæ in Homero & Hesiodo inveniuntur, speciminis  
Academicī loco nostra qualicunque opera illustrare  
constituimus.

A

§. I.

## §. I.

Nomen Ates ex appellativo *ατη* quidem ortum esse patet; cuius vero etymologia, ut solet plurimorum verborum, incertior est quam vis & usus. Alii scil. id ab *ατω*, *ατω*, *ατω* (a), *noceo*, *damnum infero*, deducentes, *noxa*, *damni*, primam ejus constituent notionem; alii ab a s. *ατ*, dolentium & conquerentium sono (unde *ατω*, *ατω*, q. d. *exprimo a θρηνικον*, *decipio*, *in fraudem inficio*), proprio *fraudem*, *deceptionem*, *errorem*, significare existimant. Quorum derivationibus quid veri insit, indubitate definire difficile erit. Verum tamen monendum, *noxa* s. *damni* notionem in Homero, ipsum accurate interpretari si volumus, *ατης* vocabulo generatim vix competere videri (b); unde ea forsitan neque antiquissima habenda est. Denotat vero *ατη* in poëta vetustissimo mentis aliquam inopiam & veluti perturbationem ac vesaniam, in primis ex vehementioribus quibusvis animi commotionibus vel studiis & cupiditatibus intemperatis oriundam, atque hinc graviorem in re diju-

(a) Quod ab *ατω* (cujus propriam notionem querendam esse in *motu*, qui sit res plures in uthum *congerendo* & *coacervando*, atque inde natam *complendi*, *explendi*, *accervandi*, itam, putat), q. d. *nimia copia congeſta vel mole rerum obruo*, repetit A LENNEP *Etymol. Ling.*  
Gr voc. *ατω*, *ατω*, *ατω*, & his affia.

(b) Cfr. monita a CHR, TOB, DAMM *N. Lex. Gr Voc. ατη*.

dijudicanda vel consilio capiendo, præcipue ipsi decernenti noxiū, errorem. Dein & pro stolidis atque insipientibus factis, ad quæ suscipienda impellere solent excitati sensus, ponitur. Tum & pro errorum veluti incitamentis, s. rebus quæ ad temere & inconsulte agendum instigant & permovent. Cfr v. gr. *Il. XVI*; 805: τοιδ' ατη φρενας ειλε, *perturbatio quædam* & *inopia mentis* eum cepit; *VI*: 356: Helena *ατην* (*temeritatem insignem* s. *amentiam*) eam appellat, qua ductus Alexander ipsam rapuerat; *Od. IV*: 261: *ατην* μετεσενον, dolebam *amentiam*, quam indidit mihi Venus, quum Ilium me duceret; *XXI*: 301, 302: ο δε Φρεσινηων αυσθεις ηιεν ην ατην οχεων αειφρεσι θυμω, *Eurytion*, mentis (ob ebrietatem) non compos, *ivit*, suam *amentiam* (*temeritatem, petulantiam, a vino*) *levi animo ferens*; *Il. I*: 412 & *XVI*: 274: γνη δε Ατρεδης ην ατην, ut cognoscat Atrida suam *amentiam* s. *temeritatem* in Achille susque deque habendo; *Il. III* & *LX*: 18: ubi Agamemnon *ατην* βαρειαν (*gravem vesaniam*) dicit suum in Trojanos arma movendi institutum, ignominiae sibi iam cessrum, quod olim suscepérat immortalem sibi inde gloriam sperans, vanis Jovis promissionibus fretus; *Od. XII*: 372: η με μαλ' εις ατην κομισατε μηλαι υπω, *mihi valde in dementiam me sopirifis savo somno*, h. e. demens eram, qui me sopiri paterer; *XXIII*: 223: τηνδ' ατην ον προσθει ει εγκαθετο θυμω λυγρων, *hanc perniciosa mētā*, abeundi scil. cum Alexander consilium, antea animo non volverat Helena;

*Il. IX: 115: οὐτὶ ψεύδος εμας ατας κατελέξας, a vero non discessisti enumerans temeraria mea facta; X: 391: πολλησιν μάτισι παρεκ νοον ηγαγει Εκτωρ, multis rebus, quæ mentem meam occidere valerent (promittendo videlicet se magnam munerum copiam daturum), amentem me fecit tector; &c.*

In Hesiodo vero vox *ατη* videtur eatenus latius patere, quatenus injuriam in alios intentam vel commissam etiam, & quidem præcipue, respiciat: *Vid. v. c. Egy. 215: εσθλος βαρυθει υπ' αυτης (υβριδος) εγκυροτας ατησιν, opulento, in scelera illapso, gravis tandem est sua petulantia (ubi υβρις & ατη sere synonymæ sunt); ib. 230: ουδε ποτ' ιδυδικαιη μετ' ανδροις λημος οπαδει, ουδ' ατη, neque fames comitatur iustos, neque aliis nocendi studium vel vis aliorum juribus illata.*

## §. II.

In scenam igitur prolaturis poëtis personificatam mortalium temeritatis, jactantiae, audaciæ, insipientium & petulantium consiliorum & factorum, caussam, proclive fuit eam a rebus, quas efficere fingenda erat, *ΑΤΗ* denominare. Sed in genere ejus describendo inter ipsos non omnino convenit. Nam Homero dea nostra est Jovis filia (*c*); ut videtur, quia

(c) Πρεσβεα Διος θυγατης, η παντας αυται, *Il. XIX: 91;*

quia potentissima est, & in omnes sœvum suum imperium exercet, nec hominum modo mentes perturbat, sed & Saturnii prudentiam aliquando fefellit. Nimurum deus quisque suam prolem, & quos præ ceteris amare putabatur, iis in primis muneribus videbatur instruere & exornare, quibus ipse præcipue eminere credebatur. Unde Jovis filios dicere, vel ei dilectos appellare, qui robore ac viribus superarent, & vulgari opinioni & poëtarum mori consentaneum erat.

Verum aliam Ates genealogiam struit Hesiodus *Θεογ. 230 (d)*, eam matre Eride in lucem editam singens. Cujus mythi ratio in eo manifeste est posita, ut moneatur, homines, contentionis studio ac vehementia agitatos & abreptos, saepe non temere modo

A 3

---

ubi πρεσβεα illud venerationem indigitare videtur, qua illa & ob celsum originem, & ob vim magnam, qua gaudebat, a mortalibus erat excipienda.

(d) DAV. RUHNKENIO locus ita videtur constituendus:

Αυταις Ερις συγεη τεκνο μεν Πενον αλευτοεται,  
Ατην τε (loco Διηθην τε), Διμον τε . . .  
Διστομην, Απεστην τε (loco Ατηη τε), συνηθεος αλληλοισι.  
Verum cur non διστομη & ατη possint συνηθεος αλληλοισι dici? Atque ληθη annon queat certa quadam ratione haberi Eridos filia? Nam, monente Scholiaсте, πολλακις εριδος προς την γυναικην επιλασθανομεθα και ταν πρεσβοκοταν.  
Quicquid sit, etiam eruditio emendatori placet Ates ex Eride ducta origo.

do & inconsulte, sed & in adversarios injuste ac vio-  
lenter se gerere. Unde *Aτη* (petulantia, injuria) etiam,  
& *Δυσομια* (licentia f. legibus repugnans vivendi ra-  
tio), sorores, familiaritate ac consuetudine inter se  
conjunctæ (*συνήθεσ*) *ibid.* dicuntur. Quare & cum  
his iisdem communi matre natae *ibid.* recensentur  
Pugnæ, Cædes, Prælia, Jurgia, Mendacia, &c.

## §. III.

Atæ formam quod attinet, pulchra ea, ut deam  
decebat, fuisse videtur. Neque fere potuit esse de-  
formis & horrenda; nam placet primum error, fa-  
cilesque & prompti in eum se præcipites dant homi-  
nes: postquam commissus est, tedium ejus demum  
oritur, pœnitentia ingruente. Nitidorum saltem (*u-*  
*trum per se pulcrorum, an opera ac arte pleiorum*  
& oleo madentium?) cincinnorum, quibus ornatum  
est ejus caput, Homerus meminit (*e*); formosamne  
naturæ credas, an eleganter comtam prodeuntem, ut  
vel monditiæ miseris decipiat mortales? Pedes quo-  
que ejus teneri sunt & tactu molles (*f*); quod idem  
cum de Amoris etiam corpore affirmetur (*g*), ad  
venu-

(e) *κεφαλὴ λυπαροπλοκαμος*, II. XIX: 126.

(f) *απαλοι πόδες*, Ib. 92.

(g) Cf. PLATO *Sympos.* pag. 195, ubi Atæ *απαλοντις* cum  
Amoris illa comparatur.

venustatem & gratiam haud parum contulisse videri  
forsitan poterit (*h*).

Ceterum ut magna est vis, qua animi levitas,  
elatio, commotiones, sensus quivis excitati, mentem  
veluti compediunt, ac a sanioribus judiciis & consi-  
liis ferendis atque capiendis cohident, quin ad teme-  
raria & noxia sectanda detorquent, ita Ate etiam  
*robore prædicta* (*i*) Homero appellatur. Firmiter  
etiam incedit, gressusque ejus velox est; nam integ-  
ris & rectis pedibus utitur (*k*): & igitur e loco  
quem tenet, non facile dimovet, & sapientiam præ-  
vertens, subito animum invadit & occupat.

## §. IV.

Quoad indolem & opera, Aten totam quantam  
malam esse & perniciosa, vel sine negotio intelli-  
gitur. Etenim bonos & salubres quis dicat mentis  
errores? Οὐλομενη igitur merito audit (*l*), utpote quæ  
omnes, ad quos aditus ipsi pateat, homines impri-  
mis, insane agentes, & æquitatem, honestatem, de-  
corum, lædentes, lubens scil., faciat (*m*). Ob vehe-  
men-

(h) A pedum nitore & pulcritudine plurima feminæ for-  
molitatis epitheta duxisse Homerum, notum est.

(i) *σθεναρη* II. IX: 505.

(k) *εις αετίπος* *Ibid.*

(l) II. XIX: 92

(m) *ασται παντας*, II. XIX: 91, 129; *βλαστει αθέωντος*  
II. IX: 508; XIX: 94.

mentiam & velut feritatem, qua mentes conturbat, & noxæ, quam hominibus parat, magnitudinem, *αγρια* etiam dicitur (n).

Nocet igitur ea, plerumque, ut videtur, pravi sui ingenii impulsu. Interdum tamen etiam a diis superioribus vel fato ablegatam prætexunt, saltem qui in culpa sunt, inde scil. sibi magis excusationis sperantes. Sic Agamemnon v. c. (o) non se esse auctorem suæ in Achillem injuriæ, sed suo pectori Aten fævam a Jove & fati dea & Erinnys immisquam ait (p); cuius igitur ingenti potestati (q), tantorum numinum viribus insuper auctæ & adjutæ, se resistere non potuisse prætendit (r).

Modo vero diligentius describendo, quo Ate mortales lædat, ipsis prudentiam adimens, omnino supersederunt poëtae nostri. Mentem quidem præfertim ab illa occupari & violari, vel e prima deæ notione liquet. Unde præcordiis (s) infidere eam, facile

(n) II. XIX: 83.

(o) II. XIX: 85 sqq.

(p) Ζευς καὶ Μαιάν, καὶ νέροφορτις Ερυννος

— μοι — φέρει εμβαλλον αγριους Ατην, II. XIX: 87, 88.

(q) Nam perficit illa, quæcunque vult, θεος δικα ταυτα τε λευτα, II. XIX: 90.

(r) οὐκ απιστος ειμι · · · τι κανεις ερχειμι; &c, vid, I. mox cit.

(s) φέρει εμβαλλον Ατην, vid, mox allata.

facile fuit factu. Verum verba illa Homeri, quæ haud exiguum negotium grammaticis facessiverunt:

— τις μεν δ' απαλοι ποδες ου γαρ επ' ουδει πιλαται, αλλ' αρι ιδε κατ' ανδρων κρατα βανει  
βλαπτουσ' ανθρωπους (t) - -

nonnullis de capitis, cui videlicet insit ratio & intellectus, conculatione explicare placuit (u); an firma satis ratione suffultis, nescio. Nam Homero caput non est sedes mentis. Artificiosiores alias loci interpretationes ut fileamus, nobis ita fere videtur exponendus: "Atæ pedes teneri sunt & molles, atque hinc agiles (non rigidi); qui igitur celerrime eam, quasi per aëra volantem, non terræ (quam si calcaret, & tardius procederet, & pedum strepitus adventantem nuntiaret) admotam, sed altius, per hominum capita (l. e. regione capitis, vel simpliciter quia id e terra est sublimius, vel forte ut oculorum quandam vertiginem efficiat dea, procellæ vel turbini similis, subitanee prætervecta) ferunt (v), cum illa mortales in errorem inducit."

(t) II. XIX: 92-94.

(u) Ipfas hominum calvarias calcare Platoni videtur I. cit.

(v) Non negandum illud *κρατα ανδρων* etiam de virorum agminibus accipi posse, adeo ut sensus sit, Aten hominum multitudini simul unam *candemque temeritatem* innotescere.

## §. V.

Atæ igitur in humanum genus potentiae tot ferme sunt documenta, quot exempla insigniora mortaliū imprudentiae & temeritatis. Ut vero dii etiam vanitatis & incogitantiae criminis interdum fuere obnoxii, ita neque omnino repugnavit, eos Atæ vim passos fingere. Imprimis memorabile est, quod de Jove perhibetur (*x*), qui ab Ate, h. e. animi quadam levitate & imprudentia, deceptus (*y*), inaniter & jaetanter ac præmature in deorum cœtu non pronunciavit modo, sed & a conjugè provocatus, juramento confirmavit futurum eum Persidarum principem, quem ex sua gente ipso eodem die malier partu esset editura. Sed falso speravit perfectum iri, quæ de Hercule, tum scil. nascituro, animo volvebat. Etenim, Junonis arte & ope, non Alcmenè quo debuit tempore, enitebatur, sed Eurystheus, matre nonnisi septimum graviditatis mensem agente, in lucem opportune prodibat, ut vi promissi divini & primogenituræ, sibi, quod Jupiter filio suo destinaverat, vindicaret imperium. Quo igitur dolo se turpiter circumventum sentiens pater deum hominumque, iratus prehendit Atæ caput, & jurans ipsam in olympum nunquam reddituram, eam veluti lapidem qui funda mititur circumactam, e cœlo vibravit. At illa per aërem magna celeritate ad terram lata, postea hominum

(*x*) II XIX: 95 sqq.(*y*) Ατη απωτος Ζηγος.

minum duntaxat, saltē, ut par erat, maxime, rebus sese immiscuisse videtur (*z*). Jupiter vero dolorem vanitatis suæ ægre abjecit, sed quoties vidi Hercules graves illos ab Eurystheo impositos labores perferentem, gemens tristisque in memoriam sibi revocavit Aten (*a*), pristinæ animi sui elationis & inde oriundæ insipientis jactantiae caussam.

## §. VI.

Neque tamen omnino insanabilia semper sunt veluti vulnera, quæ Ate infligit. Nimirum leniuntur ea sæpiissime a Διταις, precibus; de quibus Atai comitibus concinna est II. IX: 502 sqq. fabula, hoc loco silentio non prætereunda. Dicuntur videl. ibi Διται Jovis filiae, partim quia magna haud raro est precum in hominum, quibus eæ feruntur, animis flectendis & mitigandis sita vis & efficacia, partim quia Ζευς μεσος eos punire solet, qui supplices ferociter repellunt. Finguntur eadem χωλαι, pedibus debiles & claudicantes, quod homines & tardius s. ægrius ad preces sese convertunt, & ad veniam temeritatis vel opem in adversis, sponte contractis, implorandam lento ac misero gradu accedunt doloribus præpediti, spe malorum sublevandorum nondum erecti; γυσαι, rugosæ. quia mœror rugis supplcum faciem conspergit; παραβλωπες οφθαλμω, in obli-

quum

(*z*) Deprehendit igitur poëta deos non decere, hominum ad instar, sensuum fallacie esse subjectos, ipse tamen eos inanis & turpia haud raro secessatos commemorans.(*a*) Στεναχεσκε Ατη.

*quum oculos distorquentes*, ad imaginem scil. affitorum, quorum non est hilarius vultus, nec frons serena, sed malus & lianus obtutus. Hae igitur omni, quo licet pro infirmitate pedum, nixa student Aten sequi, viribus intructam, firmiter gradientem, longo p̄cē dentem intervallo, hominum per universam terram mentes ac sapientiam corruptem. Feliçiant vero a tergo ejus Preces, in errorem delapſos ad culpam suam agnoscendam & confitendam impulsuræ, danno e temeritate & inconsiderantia oriundo mederi, & iram injuria affitorum avertendo, & misericordiam erga infelices ab Ate læcos concitando, cupientes. Quibus igitur deabus adventantiibus (ad preces & dandas & accipiendas adhortantibus) qui honorem & obsequium p̄stiterit, cum etiam illæ vicissim valde juvant, & vota facientem audiunt, i. e. qui poenitentia duabus errorem deprecatur, eo ipso facto veluti delet temeritatis suæ vestigia, sele cum homine, cuius jura violaverit, reconcilians; paritique precibus placari se sinens, humanitatis suæ fructus uberes, & mortalibus & diis gratus, percipit. Quod si quis *Aetas* reveri obstinate refuset (vel deprecari nolit, vel animum supplicatione commoveri ac deliniri non patiatur) abeuntes eæ patrem Saturnium exorant, ut Ate refractarium illum sequatur (s. ut is permaneat in temeritate sua (b)), donec erroribus implicitus justam dederit suæ indeas inobedientiae poenam. Ergo placare quos offenderit, iram facile deponere, auxilium potentibus severè non denegare, hominis est, qui diis probari velit — Quæ igitur jam allata fere sunt potissima, quæ de Ate in Homero & Hesiodo reperiuntur.

---

(b) Nam & precibus non fleti temeritatis est.

ANIMADVERSIONES QUASDAM

DE

NOMINE **פָרָסֶה**

---

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

MAG. *GUSTAVO GADOLIN,*

LINGG. ORIENT. ET GR. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU

*Publico examini subjicit*

*PETRUS EKENVALL,*

*NERICIUS.*

In Auditorio Majori die XXVI Maji MDCCCLII.

Horis p. m. confuetis.

---

*ABOÆ,*

In Officina FRENCKELLIANA

